

DISPUTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,

DE

SCARLATINA ANGINOSA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ROBERTUS WATT, A. M.

JAMAICENSIS.

Ad Diem 24 Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1803.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

GULIELMO WRIGHT M. D.

SS. R. LOND. & EDIN. S.

REG. COLEG. EDIN. PRAESIDI

ET

IN EXERCITU BRITANNICO MEDICO;

BENEVOLENTIA,

MORUM URBANITATE,

DOCTRINA OMNIGENA,

CAETERISQUE VIRTUTIBUS QUAE

VITAM

ORNANT ET HONESTANT,

ORNATISSIMO,

IN RE MEDICA PRAEPRIMIS

PERITISSIMO;

HOCCE OPUSCULUM,

PROPTER INNUMERA BENEFICIA NUNQUAM OBLIVISCENDA

IN EUM COLLATA

SUMMA CUM OBSERVANTIA

ANIMI GRATISSIMI

EXIGUUM SED SINCERUM PIGNUS

D. D. DQUE

ROBERTUS WATT.

PATRI OPTIMO CARISSIMO

ALEXANDRO WATT M. D.

DE MONTEGO-BAY

IN INSULA JAMAICA,

SUMMO STUDIO SEMPER

COLENDO,

HANC DISSERTATIONEM

QUA FILIUM DECET PIETATE,

SACRUM ESSE VULT

ROBERTUS WATT.

DISPUTATIO MEDICA

PATRI OPTIMO CARISSIMO

ALEXANDRO WATT M. D.

SCIENTIAE DE MONTRO-BAY

IN INSULA JAMAICA

AUCTORE ROBERTO WATT

SUMMO STUDIO SEMPER

Thesauri de qua COLINDO

et hanc dissertationem

HANC DISSERTATIONEM

et hanc dissertationem

QUA PLURIM DECEAT PIETATE

et hanc dissertationem

SACRUM ESSE VULT

et hanc dissertationem

ROBERTUS WATT

et hanc dissertationem

et hanc dissertationem

et hanc dissertationem

et hanc dissertationem

liber

A

DISPUTATIO MEDICA,

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA ANGINOSA.

AUCTORE ROBERTO WATT.

MORBUS, de quo pauca breviter perstringere statui, circa initium seculi decimi sexti in Europa primum sese manifestabat; ineunte enim hoc seculo, per Hispaniam maxima cum clade evagatus est; paucis abhinc annis Neapoli sæviebat, et brevi per oras Mediterraneas late grassatus est, stragem ubique inferens.

SUB finem hujus seculi morbus, sub nomine *Anginæ Stipatæ*, Londini increbuit, qui, etsi cum Morbillis confunditur, ad mitiorem hujus morbi gradum potius pertinere videtur.

A

HISTORIA

HISTORIA autem absoluta usque ad annum millesimum, septingentisimum, quadragesimum defuit, quo tempore clarissimus Fothergill eum accuratissime depinxit. Nunquam autem regionem quam semel peragravit, omnino destituere videtur; et Medici forsitan, ante hoc tempus eum attentione parum dignum judicarunt, quippe sub forma minus pestifera apparuit.

EX TEMPORE quo hanc Insulam invasit, partes magis septentrionales gradatim perlustravit, et quædam sunt Scotiæ partes ubi nuper solummodo sese ostendit.

HISTORIA.

SCARLATINA Anginosa epidemice plerumque grassatur, et quovis anni tempore ingredi solet, sæpius autem in autumnò, præsertim ab initio
Septembris

Septembris, ad finem Decembris, et etiam haud raro in hieme humida, temporum vice subito variante, incedit.

NULLA ætas, nullum temperamentum homines ab hoc morbo incolumes præstat; debiles autem, valetudine parum commoda fruentes, laxiore corporis compage præditos, infantes præ adultis, mares præ fæminis frequentius adoritur.

QUIBUSDAM temporibus tam benigna est, ut Medicinæ ope vix egeat, aliis periculi plena promptissimum auxilium exposcit; et hæ varietates ex eodem contagio proficisci videntur.

IN quibusdam exemplis morbus ita lente invadit, ut æger per duos aut tres dies post ingressum, solita munera obire queat, parum, nisi de levi oppressionis sensu, et languore, conquestus; res autem non semper se ita habet, sæpe enim repente oboritur, et indicia morbi gra-

vioris haud dubia ab initio sese ostendunt. Vertigo adest, et aliquando cum animi deliquio inpositura erecta comitatur; horrores subinde recurrunt, cum frigore; calor stabilis et urens tandem supervenit; dolores capitis et dorsi cum molesto oppressionis circa præcordia sensu ægrum vexant: nausea et vomitus sæpe urgent; nonnullis in exemplis ægrotans diarrhœa plectitur; facies rubore suffusa est; et oculi turgidi lacrymis uberius profundunt; cervix moleste rigida evadit; et fauces dolent: omnia hæc nocte ingravescunt, mane rursus mitescunt. Fauces inspectis, Uvula, et Tonsillæ tumidæ apparent; et color vivide rubicundus per omnes vicinas partes diffunditur, qui imprimis circa tonsillas et in angulo supra eas conspicuus est. In gravioribus morbi exemplis color ad purpureum vergit; coloris mutati lingua plerumque fit particeps, media autem albescit, et crusta cooperta est. Sitis tamen raro vexat. Arteriæ plerumque debiles solito frequentius micant; est autem

ubi

DE SCARLATINA ANGINOSA. §

ubi pleniores et validiores fiunt. Morbo progrediente fauces majorem attentionem vindicant, maculis enim subalbidis obsessæ conspiciuntur; hæ autem ampliores gradatim evadentes, plures in unum sæpe coeunt: et totam internam faucium superficiem deturpant. Tumor colli evidentius nunc apparet et potestas degiutiendi interdum difficilis evadit; hæc autem raro multum incommodi creat, et cæteris faucium male se habentium signis minime ut plurimum respondet.

SECUNDO, aliquando tertio vel quarto morbi die efflorescentia cutis, faciem primum occupans, et brevi per totam corporis superficiem diffusa, sese prodit. Partes rubore affectæ sæpe tumescunt, quod præ primis circa pedes et manus observare liceat, qui interdum tanto tumore afficiuntur, ut ne etiam se flecti sinant. In iis partibus ubi cutis rubedo minus conspicua est, in brachiis scilicet, pectore, et artibus inferioribus,

ferioribus, papulæ exiguæ percipi possunt. Efflorescentia cutis irrupente, nausea, vomitus, et diarrhœa, quæ sæpe ab initio urgent, remittunt. Duratio coloris, æque ac tempus quo primum semet ostendere consuevit, incerta est; et color ex vivido coccineo ad subfuscum variat. Neque sane talis rubor hujus morbi indivulsa est comes; aliquando enim cum leniter incedit, fauces affectas, nulla efflorescentia comitante, observare liceat; in aliis morbi exemplis color cutis rutilus solummodo adest, faucibus omnino illæsis.

Utrunque hæc irruptio procedat, parva levaminis plerumque affert. Nocte enim appetente omnia signa invalescunt, nec rarum est mentem ad delirium usque turbari, vel etiam coma supervenire.

MORBO adhuc invicto, sanies tenuis et acer, tetrum spirans odorem, ex faucium ulceribus,
derivata

derivata per os et nares defluere incipit, et vicina erodit. Hoc quoque tabum in infantibus deglutitum tormina et diarrhœam molestam, quibus hi præ aliis obnoxii sunt, ciat : Eadem materies acris absorpta tumoribus parotidum et in axillis originem præbeat; raro in suppurationem abeant, sæpe autem tumidi et indurati, ad tempus postquam morbus decesserit, remanent. Morbo ingruente, urina tenuis prodit et decolorata, tandem flavida excernitur, in nonnullis exemplis difficillime redditur, ita ut urinam per fistulam immissam educere necessarium sit. *

Alvus in adultis potius compressa manet, præsertim si morbus levior fuerit; Infantes autem diarrhœa ut plurimum plectuntur, quæ malum haud parum exasperat, et ulcera per totum intestinorum decursum sæpe progignit.

* Vide Clark de feboribus.

INTERDUM in fæminis menses ante tempus quo profluere solent, erumpunt, et solito copiosius manant: dicitur quoque puellas mensium prius omnino inexpertas hoc morbo implicatas hoc fluxu plecti.

SCARLATINA non stato tempore *anunt* attingit, nec ulla certa die critice solvitur, tertia autem quartave salutis redeuntis indicia plerumque comparent. Efflorescentia minus vivida gradatim evanescit, calor minus ardens evadit, pulsus arteriarum subsidunt, et crustæ in faucibus decedentes, ulcera boni moris, partesve infra sanas, ostendunt.

IN gravioribus autem morbi exemplis maxima virium prostratio adest, ulcera depascencia altiores agunt radices, et sordent; arteriis vicinis erosis, sanguis ex ore et naribus subinde profluit; fauces purpureum colorem adipiscuntur; et efflorescentia cutis fere nigrescit. Spi-
ritus

ritus insolitum factorem edit, omnia in pejus ruunt, et æger sæpe ante septimam morbi diem factis cedit. Aliquando autem morbus, etsi tandem lethalis evasurus, ultra hoc tempus producit, et Gregorius noster jure celeberrimus exemplum ægrotantis, qui die decima et octava superstes tandem obiit, profert. *

Etsi morbus formam malignam jam memoratam haud raro indicat, sæpius autem speciem minus timendam exhibet; efflorescentia colorem lætius rubentem ostendit, maculæ in faucibus apparentes albidæ sunt, et ulcera subjecta si quæ adsint, benigna et parum alte rodentia conspiciuntur, pulsus plenus et validus est; et cuticula desquamatur, anasarca haud raro superveniente. Talis est facies quam morbus in robustis, sanguineis, et ætate vigentibus plerumque ostendit.

* Vide Prælect. Prax. Med.

NONNUNQUAM ad partes internas transferri,
et Phrenitidem Pneumoniãve induxisse fer-
tur.

CAUSÆ REMOTÆ.

OMNIA quæ vires corporis frangunt, vel sani-
tatem labefactant, inter causas quæ huic morbo
proclivitatem dant enumerari debent; hinc de-
biles, flaccidi, prægressis morbis fracti, ei præ-
aliis patent. Infantes igitur dentitionis sub o-
pere Scarlatinæ præ primis opportuni evadunt.
Vis quam animi pathemata super corpus exer-
cent omnibus innotescit, quæ enim mentem con-
tristant, si modo vehementiora fuerint, dicto
citius, vires sæpe resolvunt, et omnibus mor-
bis quæ contagio grassantur, quam maxime fa-
vent. Nec prætermittendum est statum quen-
dam aëris adhuc ignotum homines quibusdam
morbis qui epidemice regnant procliviores red-
dere.

DE SCARLATINA ANGINOSA. II

INFANTES, etsi huic morbo maximè obnoxii, rarissime donec mamma appetere dediderunt, Scarlatina corripuntur, nulla hujus ratio hactenus reddita est; constat autem infantes, quo juniores, eo minus morbis contagiosis esse proclives. Quod ad causam excitantem attinet, contagium nemo non agnoscit; rei autem novissimæ modus quo corpus afficit adhuc latet.

DIAGNOSIS.

PLURIMUM interesse ut accurata diagnosis morbos, qui invicem mentiantur, certo discerneret, omnes libenter consentiunt. In nulla enim alia medicinæ parte consulto magis opus est, si enim dubium de natura morbi restat, parum plerumque valet medicina. Morbus de quo hic agitur a D. Cullen et aliis medicis summi nominis naturæ omnino diversæ à Cynanche maligna habetur: Ponunt enim scarlatinam morbum

admodum mitem esse, et sæpe epidemice grassari, ubi indicia cynanchi malignæ maxime propria omnino defuerunt; et quod rem maxime continet, scarlatinam semel solummodo, per tolum vitæ decursum apparere, dum homines cynanche maligna prius laborantes, huic morbo iterum ei opportuniores evadunt, contendunt.

Ex argumentis autem haud facile improbandis colligere pronum est morbum sub nomine scarlatinæ a Sydenhamo adumbratum et eum a Dre. Fothergill luculentissime descriptum gradu solummodo discrepare, et variam induere formam, prout corporis constitutio aërisve status diversa fuerint.

Ex Medicis quoque peritissimis,* unam partem ejusdem familiae morbo dirissimis signis stepato

* Audi Prælect. Gregor.

corripi, dum alia pars ex eodem contagio morbum sub forma mitissima suscepit, compertum habemus. In urbe Aberdoniæ ubi nuperis annis morbus diversis temporibus majori vel minori sævitia grassatus est, ipse familiæ interfui ubi puella morbo sub forma admodum maligna correpta fuit; brevi sororem quæ ei famulavit, Scarlatina ita benigna invasit ut eam in lecto detinere vix necessarium fuit, de modo autem quo morbum accipiebat nulla lis moveri potuit; ædes enim quam habitabat seorsim collocata est, et cum vicinis nullum commercium tenuit.

OBSERVANDUM quoque est morbos nullo jure ad diversa genera distrahi debere, qui majori vel minori signorum vehementia solummodo discrepant; nec sane aliquod discrimen inter Scarlatinam et Cynanchen malignam conspici queat, quod non in morbis qui omnium consensu, ad idem genus pertinent, sæpiissime obtinet. In
hujus

hujus confirmationem ad Typhum mitiorem et gravio-rem, et præ omnibus ad variolam distinctam et confluentem, provocare liceat; omnes enim has duas species ad idem contagium relegant, et morbum ex quibusdam ægrotantibus propriis solummodo variari perhibent; nil autem vetat quo minus idem quoque in Scarlatina eveniat.

Qui eos omnino esse diversos voluerunt, Scarlatinam, semel in vita, Cynanchem autem malignam sæpius invadere strenue affirmarunt; hanc autem opiniorem experientia Gregorii clarissimi penitus subruit; ille naturæ solertissimus observator scarlatinam sæpius redeuntem notavit. Dr. Withering, qui haud parum laboris huic proposito impendit, ut discrimen inter eos accurate statueret, in altera opusculi editione a sententia quam primum tenuit secessit; candide enim profitetur se malignam speciem sæpius redire, fundamento parum valido affirmasse, et ulteriori experientia edoctus observat maculas
quæ

quæ iterum apparuerunt in faucibus eorum, qui antea Cynanche maligna laboraverant, diversissimas esse ex iis quæ in hoc morbo occurrunt, et ex labe membranæ fauces obducentis priori morbi insultu illata, qua fit ut ex levissimis causis male se habeat oriri videntur, in hoc autem casu omnia pestifera Cynanches indicia desunt, et æger nunquam in vitæ discrimen adducitur, morbus igitur mere topicus, ex Cynanche maligna alienissimus est.

Hic morbus, ut ex supra dictis facile patebit raro cum aliis quibus fauces obnoxix sunt confundi potest. In Cynanche Tonsillari, robustis præsertim familiari, fauces magis rigent, tument et dolent, et sub maculis nitidis, et coloris albidi si ullæ conspiciantur, nulla ulcera delitescunt; morbus ex frigore suscepto originem ducit sæpiusque recurrit; tumores haud raro tantam molem adipiscuntur ut deglutationem omnino impediunt

impediant et instantem suffocationem minuentur; citissime quoque in suppurationem transeunt. In Cynanche maligna autem his omnibus contraria eveniunt; morbus in debiles præsertim impetum facit, et contagio solummodo grassatur; vires brevi collabuntur, delirium sæpe supervenit, et cutis efflorescit.

IN Morbillis Anginæ signa desunt; et coryza, tussis et cutis papulis exiguis exasperata eum sat superque ex scarlatina separant. Cum quibusdam Variolæ confluentis exemplis circa morbi ingressum confundi forsitan periclitatur; in hoc autem si ullus cutis rubor phlegmonodeus est; dolor ex epigastrio presso sentitur, et sensus oppressionis insignis circa præcordia adest.

Aphthæ infantum escharis circa linguæ marginem et labia prius comparentibus naturam aperte produnt.

PROGNOSIS

PROGNOSIS.

HÆC ex signis quibus stipata sunt, ex ætate, corporis temperamento, et natura epidemici grassantis desumi debet, neque forma morbi mitissima periculo omnino caret, interdum enim sine ulla causa evidente faciem subito mutat, et dirissima signa sibi adsciscit.

Si efflorescentia coloris vividi et rubicundi per totum corpus erumpit, si partes circa collum non nimis tumidæ apparent; si maculæ albidæ fuerint, et ulcera nitida parum serpentina obtegant: Si demum calor mitigatur et pulsus molliores evadunt, dum cutis exuvias furfuraceas deponit; eventum felicem jure prædicere liceat. Cum autem efflorescentia colorem livescentem adipiscitur, aut subito recedit: pulsus debilis et parvus

est, et maxima virium prostratio, oculi squalidi nitore orbati, facies cadaveri similis; ulcera livida vel nigra; diarrhœa, delirium leve et mussitans accedunt, de ægro actum est.

MEDENDI RATIO.

DUOBUS præsertim nititur consiliis: Primum, morbo quam citissime ad finem perducendo; et Secundum, debilitati et gangrænæ occurrendo, absolvitur. Priori consilio subvenitur, omnia quæ irritant, calorem corporis adaugeant, sedulo amovendo; Regimen antiphlogisticum stricte administrari debet, et cubiculus in quo detinetur ægrotans perflatibus aëris frigiduli libere exponi debet.

VOMITUM ab initio ciere laud parum sæpe proderit. Emesis enim non solum ad nauseam
mitigandum

mitigandam et ventriculum ex sordibus quibus gravatur liberandum, utilis habetur, sed alia et via minus aperta vim mali sæpe refringit. Nec sane absimile est Emetica tempestive adhibita æque in Scarlatina ac in Typho prodesse. Hoc concilio pulvis ipecacuanhæ vomitum certius et tutius movet, et Tartaro emetico anteponi meretur. Nec vetitum est lenem vomitionem sæpius excitasse, præsertim si vires vitæ vigeant, et status ventriculi tale remedium exposcat.

ALIAM autem et felicioram viam nuper ingressi sunt Medici, qua morbus sæpe in initio profligatus est.

CUM enim ex signis urgentibus, ex morbo regnante et aliis, Scarlatinam instare suspicatur, aqua frigida, et cum felicissimo eventu, super corpus aspergitur. Hoc remedium, in febribus auxilium præstantissimum, Dr. Wright, pri-

mus in usum revocavit; et non solum in puris febribus, sed etiam in iis quas eruptio supercutem comitatur usurpare ausus est; et hoc præsidium, experientia quotidiana comprobatum, ei debemus. In Scarlatina medici summi nominis nuper ad aquam frigidam confugerunt, nec fecisse pœnituit; in nullo enim alio morbo felicius in salutem cessit.

Dr. Gerrard eam primum usurpavit; et Dr. Currie nuper rem ulterius prosecutus iteratis periculis bonos ejus effectus comprobavit. Post aquam affusam ut æger lectum statim peteret, paucis vini tepidi unciis eodem tempore propinatis, præcipit. In febre irruptiva, ubi calor mordax et ardentissimus ad gradum centum et nonum instrumenti Fahrenheitani interdum ascendit, cum maximo beneficio ad hoc remedium decurrere solet. Ex epistola quam Dr. Wright mense Maii, Anno 1802, ex D. Currie accepit

accepit, Doctor benevole permisit ut sequentia exciperem, quæ huc spectant. “ Since August
 “ last, in 120 cases the cold affusion had been at-
 “ tended with the greatest success; using the
 “ cold bath at first, afterwards the tepid bath as
 “ the heat declines, repeating it at times not less
 “ than once every three hours.” Quo maturius ad affusionem decurritur, eo feliciorem exitum habet; nonnunquam morbum ex toto abrumpit, fere semper multo mitiorem reddit. Ad eam autem ullo morbi tempore confugere liceat, si calor præter modum exardescat et cutis arida fuerit. Nec mirum erit remedium tanta virtute præditum aliis, prius usus ejus innotuit, passim usurpatis tandem supersedis-
 se.

DETRACTIO Sanguinis, remedium valde ambiguum est, et cautissime si unquam usurpari debet; temere enim adhibita perniciem afferre potest. Omnibus semper nervis ut quantum fieri

fieri possit debilitati obviam eamus, contendere debemus; sanguis enim imperite detractus huic quam maxime favet, et puncto temporis labem nunquam delendam corpori inferre potest. Si autem febris vehemens exorta est, pulsus validi et duri fuerint, vires vigeant et fauces valde tumeant, et doleant, topica sanguinis detractio celebrari potest.

EPISPASTICA, non pro certo constat multum commodi ex vesicantibus impositis in hoc morbo oriri posse; horum enim, ac in Cynanche Tonsillari, ubi tantum prodesse solent, non par ratio est: innocua tamen sunt, et si fauces vehementer tumeant, nil vetat quo minus adhibeantur.

CATHARTICA. Ad hæc rarissime decurrere licet; tanta enim in diarrhœam adest proclivitas, ut ex levissimis causis excitari solet, et semel mota

haud

haud iterum facile reprimitur, sed per totum morbi decursum vires exhaurire perstat. Si igitur propter alvum nimis compressam aliquid hujusmodi necessarium videtur, solventibus blandissimis eam leniter sollicitari sat fuerit.

Ad Secundum consilium explendum, omnia quæ proclivitatem ad grangrænam tollunt in auxilium opportune veniunt; Acida utriusque generis utilia fiunt; ad vinum et cinchonam cum maximo beneficio decurritur. Ad vires vitæ sustinendas cortex Peruvianus præstantissimum remedium est et omnibus aliis palmam præripit; pulvis dosi larga brevibus intervallis repeti debet. In infantibus quorum ventriculus maxime irritabilis pulverem corticis plerumque respuit, vel qui ad eum sorbendum non adduci possunt decoctum subter injici solet, paucis tincturæ opii guttulis adjectis quibus certius retinetur. Fructus acidi libere concedi possunt, ægrotanti enim

fere

fere gratissimi sunt et putredini fortiter obstant.
 DIARRHOEA cui infantes præsertim tam obnoxii
 sunt, opiatis astringentibus et demulcentibus
 compescenda est.

GARGARISMATA haud parvi æstimanda sunt,
 fauces enim detergunt, mucum viscidum attenu-
 ant excretionemque ejus æque ac materiæ putri-
 dæ, promovent: In infantibus præsertim fauces
 syringi ope, his sæpius ablui debent, quippe mi-
 nus ad saniem expuendam valent: infusum rosa-
 rum rubr. cum pauxillo acidi sulphurici conjunc-
 tum, vel vinum rubrum austerum aqua dilutum
 in plerisque casibus optime respondent. In gra-
 viori autem morbo, ubi fauces sensum fere ami-
 serunt, quæ valentius stimulant necessaria sunt,
 et hoc consilio spirit. sal. aromat. cum aqua com-
 mistus, vel tinctura myrrhæ cum fructu usurpa-
 ri possunt.

FINIS.

